



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Petronii, Bononiensis Episcopi: Ex ea quam Carolus Sigonius vir doctrißimus ex vetustis monumentis excerpsit. Quo tempore floruerit, patet infrà.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

VITA S. PETRONII, BONONIENSIS Episcopi : Ex ea quam Carolus Sigonius vir doctissimus ex vetustis monumentis excerptit. Quo tempore floruerit, patet infra.

Vide C. Ba-  
ron. Not. in  
Martyr.  
Roman.  
& Tom. 5.  
Annal.

PETRONIUS Bononiæ Episcopus, patre Petronio ciue Constantinopolitano viro clarissimo & homine literarum disciplinis egregiè erudito natus est. Nam cum is prætorij præfecturam, quæ dignitas apud Imperatores amplissima fuit, gessit, tum librum de Episcopi ordinatione, plenû doctrinæ & Christianæ pietatis conscripsit. Hic igitur vt Græcè & Latinè doctus erat, sic filiû Petronium erudiendum, Christianisq; moribus imprimis atq; optimarum artium doctrina instituendum curauit. Itaque puer breui in magna rerum cognitione progressus, in sanctè viuendi institutis ita profecit, vt frequenti ciuium sermone eius sanctitas celebraretur. Spiritu enim Dei ductus, cum rei omnis initiû ab oratione fieri oportere intelligeret, nihil aggredi solebat, nisi primò Ecclesiam ingressus, sanctioribus precibus rei agendæ auxilium à Deo imploraret; ad eum vnum referens cogitationes, actiones & studia sua.

4. Octob.  
Patria &  
parietes eius.

Optimè in-  
stituatur à  
parente.

Cuncta sua  
ab oratione  
auspicatus.

Confirmata iam ætate, ardore quodam Christianæ religionis vehementius inflammatus, monachorum imprimis amore flagrauit; quorum eo tempore disciplina erat in Aegypti solitudinibus florentissima. Quare, etsi quacunq; illi piè religioseque agerèt ab alijs ipse cognorat: tamen cum ad instituti sui rationem non satis esse putaret, ea auribus perce-

D 4 pisse



*Proficiscitur  
in Aegyptū  
ut ex illis  
sanctorū mo-  
nachorum  
hauriat dis-  
ciplinās.*

pisse, oculis perlustranda esse existimavit; tum  
 loca, tum cetera omnia quæ studiosè audie-  
 rat. Itaque intimam Aegypti eremum pene-  
 trans, singulorum colloquio uti non destitit,  
 quoad planè sancta eorum instituta cognovit.  
 Inde domum reuersus, illam disciplinam tam  
 vehementer amavit, ut literarum monumentis  
 tradiderit monachorum vitas: quas religiosè  
 cōscriptas, valdeque probatas ijdem monachi  
 amplexi sunt, quasi certas quasdam regulas, in  
 quibus maximè eluceret omnis optima mona-  
 stici instituti sui ratio.

*Visit sacra-  
tissima Re-  
demptionis  
nostræ loca.*

Omni igitur cura & cogitatione vir reli-  
 giosus in sanctissimis Christianæ fidei institu-  
 tis defixus, quò magis in dies contemplationi  
 accèderetur, Aegypti solitudine iam peragra-  
 ta, Hierosolymam peregrinari statuit; ubi per-  
 actæ redemptionis nostræ vestigia Christus re-  
 liquit verus Deus & homo. Itaque cum ad eam  
 urbem venit, totus meditationis studio exardescens,  
 Domini sepulchrum imprimis, ceteraque  
 illius sacra rerum gestarum monumeta sanctè  
 & religiosè veneratus est: eorumque situm ac ra-  
 tionem, quò magis ad contemplationem fixa  
 in animo hærent singulari diligentiā notauit.  
 Quamobrem meritò quidem Theodosij iunio-  
 ris, qui tunc imperabat, gloriosissimi principis  
 gratiam & amorem sibi ita conciliauit, ut is  
 sanctitatis opinione non minus auctoritatis a-  
 pud illum obtineret, quam pater rerum gesta-  
 rum industria obtinisset.

Nam pietate ad Dei religionem attentissimi  
 viri & prudètia cognita, Theodosij eius potis-  
 simum opera, Nestoriū Constantinopolitanū  
 Episco-



Episcopum, peruerso dogmate sanctissimam Catholicæ fidei doctrinam violare conantem, opprimere statuit. Itaq; princeps Theodosius eius rei causa vniuersæ Ecclesiæ pastorem Romanum Pontificem consulendum sibi existimans, Petronium Romam legatum misit, qui rem cum Cælestino Pötifice diligenter ageret. Factum est autem Dei consilio vt eodem quoq; tempore Bononienses legati Romæ adessent, alium à Pontifice, in defuncti recens Felicis Episcopi, qui intus S. Ambrosij Mediolani Episcopi sodalis extiterat, antistitem petituri. Paulò autem antè, quàm ij legati Romam aduentassent, diuina voluntate à S. Petro Apostolo in somnis Cælestinus Pontifex admonitus est, vt quando Felix Bononiæ Episcopus è vita hac migrasset, Petronium qui legatus à Theodosio Imperatore missus, ad Urbem propediem affuturus erat, Bononiensibus Episcopum præficeret. Qua quidem re commotus Pontifex, cum iam Petronius simul & Bononienses adessent, ac sua vtriq; postulata exposuissent, quæ per quietem acceperit, eis ostendit; atque Petronium idoneum Felicis successorem se dare pronunciauit. De re autem Nestoriana, quam ille Theodosij nomine retulerat, collaudata primùm religiosi illius principis pietate, priuatim ei respondit; se, nè ea pestifera hæresis latius serperet, œcumenicam, vt moris esset, Synodum indicturum: quæ Synodus Ephesi prior sequenti anno celebrata est, frequentiducentorum Episcoporum conuentu.

Diuinæ igitur voluntatis significatione declaratus, à Pontifice Bononiæ Episcopus Petronius;

D 5

nius;

*Theodosius  
Imp. Romæ  
eum Legatū  
mittit cōtra  
Nestorium  
hæreticū.  
Anno Domi-  
ni 430. iu-  
xta Baron.  
Tom. 5. An-  
nal.*

*Cælestinus  
Pontifex di-  
uinitus mo-  
netur, vt Pe-  
tronium Bo-  
noniensem  
creet Episco-  
pum.*

*Prima Syno-  
dus Ephesina  
œcumenicæ  
de qua con-  
sule Tom. 5.  
Baron.*



*Creatur Pon-  
tifex Bono-  
niensis, à Ce-  
lestino Papa:  
qui floruit  
anno Christi  
430. &c.*

nus; cùm diuinitus sibi delatum munus depre-  
cari non posset, Pontificis iussui necessariò ob-  
temperauit, floruit autem is Romanę sedis exi-  
mius Pontifex Cælestinus Anno Christi 430. &  
alijs: Theodosio & Valentiniano Impp. Itaque  
datis, vt Pontifex iusserat, ad Theodosium liti-  
ris de Synodo contra Nestorium Ephesi cõuo-  
canda, Bononiam Romã vnã cum legatis pro-  
fectus est. Fuit ab effusa omnium ætarũ atque  
ordinum gratulantis ciuitatis multitudine ho-  
noricè exceptus, & in cathedram collocatus.

Eo tempore quo Bononiam ad explendas op-  
timi pastoris partes venit, Arianæ hæresis re-  
liquiæ nondum prorsus extinctæ erant: & Ec-  
clesiæ multæ nefaria eorum impietate & Bar-  
barorum simul, qui proximè in Italiam irrupe-  
rant, immani feritate euersæ ac prostratæ iace-  
bant. His malis inprimis occurrendum existi-  
mans, primùm doctrina & sanctæ vitæ officijs  
ciuitatem instruere, propositoque S. Ambrosij  
exemplo, fidem Catholicam, Ariana perfidia  
violatam, restituere summoperè contendit.

*Ecclesijs ab  
Arianis &  
barbaris di-  
struktas re-  
statuat.*

Deindè templa Dei disturbata, atque euersa  
refecit; & alia item noua, quo maior ad Dei  
cultum in dies accessio fieret, summo Bononi-  
ensium studio ædificauit. Dum autem in con-  
struendis Ecclesijs opera & industria multo-  
rum sudarent, mirifici operis in Dei nomine e-  
dendi occasio ei est oblata. Nam faber quidam  
non tam viribus corporis, quàm ingenio fre-  
tus, obnixè columnam marmoream, operis &  
instrumentis adiuantibus, erigebat: sed fu-  
nibus, quibus columna tollebat, effractis, il-  
le repètina columnę ruina oppressus, interiit.

Ea



Ea re audita, beatus Petronius accurrit, orationeque ad Deum habita, fabrum, qui mortuus iacebat, ad vitam diuinitus reuocauit; omnibus, qui praesentes aderant, cum rei admirabilis spectaculo obstupescens, tum Petronij Episcopi sanctitatem certatim inter se collaudantibus.

Ne verò quid officij, quod à se proficisci posset, erga populū Bononiensem praetermitteret, Theodosij Imperatoris, cui charissimus erat, & ciuium Bononiensium, quos vnice in Christo diligebat, auxilio vsus, vrbs ambitum auxit.

His igitur operibus perfectis, vir sanctus Constantinopolim reuersus, pro ea, qua multum apud Theodosium valebat, auctoritate, sacras multas ex ea vrbe alijsque locis reliquias transferendi facultatem impetrauit: quibus mox domū indè regressus, erectas à se Ecclesias pie ac religiosè ornauit.

Cum ergò aliquot annos exemplo vitæ pietatisque operibus Bononiensem Ecclesiam administrasset, & vrbi præclaro ornamento fuisset, demùm morbo correptus, cum obitus sui tempus instare sentiret clericos ad suos vocauit, eiq; Ecclesiā ac fidem Orthodoxam quā grauiissima potuit oratione commendauit. Paulò post omnibus Ecclesiæ minutis sacramentis, Theodosio & Valentiniano Imperatoribus migravit ad cælum: qui multis etiam post obitum miraculis clarus, vt præcipua à Bononiensibus coleretur religione promeruit. Eius corpus in Ecclesia S. Stephani sepultum est; quod multis post seculis diuino consilio ciuitati ignotum, Innocentio secundo Pontifice inuen-

*Excitat mortuum.*

*Exornat Ecclesias SS. Reliquijs.*

*Obitus eius.*

*Operatus est miracula post mortē.*

*Corpus eius inuenitur*

*anno 1146.*

inuen-



inuentum est, dum sacras reliquias Henricus Episcopus recenseret; quas in ea Ecclesia extare, à maioribus traditum erat: Vixit autem iisdem ferè temporibus in Gallijs eiusdem nominis Episcopus; anno nimirum Domini 452. fortasse ille, ad quem extant duæ Sidonij Apollinaris epistolæ.

VITA BEATISSIMI PATRIS FRANCISCI: Ex ea quam S. Bonaventura, Cardinalis & Episcopus Albanensis doctissimus eiusdem instituti sectator conscripsit. Migravit ex humanis anno Domini 1226. Relatus inter sanctos à Gregorio Papa nono, anno 1228. XVII. Kalend. Augusti. Translatum est corpus eius anno 1230. VIII. Kal. Iulij: ad basilicam in honore ipsius constructam.

Fide Notat.  
C. Baron in  
Martyrol.  
Rom.

4. Octob.

Patria eius.

Optima eius  
indoles.

Eius bene-  
gnitas in  
pauperes.

**F**REGIUS planè vir Franciscus, Assisij ciuitate oriundus, omnibus extrà controuerfiam cælestis philosophiæ ornamentis decoratus, admirabile planè suæ conuersionis habuit initium. Etenim cùm inter vanos mundanosque homines, in vanis iuuenili ætate fuerit enutritus, & post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercatorum negocijs deputatus, nequaquam tamen inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, carnis sese petulantij tradidit; nec inter cupidos mercatores mentem in pecuniæ thesauros per fas perque nefas coaceruandos defixit. Inerat namque ei ardens quoddam pauperibus benignè faciendi studium, & insita quædam diuinitus erga inopes & calamitosos miseratio: pror-